



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **QUEMADMODUM VETUS** B. VIRGO MARIA, LAURETANA
APPELLATA, PATRONA APUD DEUM

OMNIUM AËRONAUTARUM IN REGIONE S. PAULI IN BRASILIA CONFIRMATUR Ad perpetuam rei memoriam. –
Quemadmodum vetus et laudabilis fert consuetudo, christini peculiare munus obeuntes haud raro in fidem se tradunt
Caelitum Sanctorum ut eorum exemplo ad bonum rectumque incitentur, rebus in adversis obtegantur munimine,
ingruentibus periculis arceantur. Cuiusmodi praesidio indigere se sentiunt aëronautae civiles regionis S. Pauli in Brasilia,
ubi opus ad aëtheria pertinens itinera fervet. Hi vero pio studio Beatam Mariam Virginem prosequuntur, quae in
percelebri sanctuario Lauretano impensis fidelium obsequies colitur. Quorum votis obsecundans, Venerabilis Frater
Noster Evaristus S. R. E. Cardinalis Arns, Archiepiscopus S. Pauli in Brasilia, electionem Deiparae Virginis, nomine illo
insignis, ut caelestis Patronae illius veluti familiae seu ordinis in re aerivehicularia versantis auctoritate sua approbavit et
a Nobis petiti ut id ipsum ratum haberemus. Nos ergo e Sacrae Congregationis pro Sacramentis et Cultu Divino consulto,
harum Litterarum vi et potestate Nostra Apostolica Beatam Mariam Virginem, Lauretanam appellatam, Patronam apud
Deum omnium aeronautarum seu civili classi aeriae addictorum in regione S. Pauli in Brasilia confirmamus, omnibus
adiectis iuribus et privilegiis liturgicis congruentibus, servatis autem regulis, quae secundum Instructionem «de
Kalendaris particularibus atque officiorum et Missarum Propriis recognoscendis», n. 30, custodiantur oportet. Contrariis
quibusvis non obstantibus. Volumus demum ut hae Litterae Nostrae plenam vim suam nunc et in posterum
consequantur. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die III mensis Maii, anno MCMLXXXII,*
Pontificatus Nostri quarto. AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis* © Copyright 1982 - Libreria
Editrice Vaticana